
4151.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

No. 2134.



M Fischer fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= L N 1415.

M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

4151.

IOHANNIS GEORGII SADOLI-NI P. L. AVREORVM PY-thagoræ Carminum, & Præce-ptionum Phocylidis mo-ralium

INTERPRETATIO.

ROSTOCHII

Excudebat Iacobus Lucius.

Anno M. D. LXXIIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

IOH. GEORGII SADOLINI

IN POEMATA PYTHAGORAE ET PHOCYLIDIS EX GRAEcis à ſe conuerſa, ad Dn. Iacobum Georgium Sadolinum, fratrem cariſsimum,

PRAEFATIO.

AVrea Pythagoræ iam ſuſcipe carmina, frater,
Nuper ad Oenotrios emodulata ſonos.
Phocylidisq́; ſimul documenta ſalubria noſce,
Quæ Latÿs itidem ſunt variata modis.
Conſona ſi Muſæ non eſt vis Græca Latinæ,
Ingenÿ culpa eſt, ſcilicet iſta mei.
Sin benè quid feci, nõ hæc mea propria laus eſt:
Eſt etenim ſoli gloria danda Deo.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

IOHANNIS GE-ORGII SADOLINI AVRE-ORVM PYTHAGORAE CARMI-num Interpretatio.

LEge pia ſummum ſincerus numen adora,
Ius fidei ſerua, celſos Heroas honora.
Terreſtres proceres, qua fas eſt, euehe laude:
Debita ſolue pijs genitoribus atq; propinquis:
Elige de reliquis, virtus quos ornat, amicos.
Lenibus alloquijs & factis cede modeſtis.
Ob leue delictum ne ſperne ſeuerus amicum,
Si tolerare potes: poſſe autem penè neceſſe eſt.
Quæ monui, obſerua: ſed et hæc quoq; trāſſer in (vſum.
Ingluuies, torpor, morūq; licētia praua,
Iraq; diſcedat: nec cuiquam iunctus iniqua,
Nec ſolus patra, tu temet diſce vereri.
Vera loquens & iuſta operans te redde nitentē:
Nec temerè quicquam tenta, ratione repulſa,
Nanq; ōnes fera Parca trahit, mors arripit ōnes
Pectore ſis læto ſeu diues viuis, inopsue:
Omnia cœleſti ſiquidem tribuuntur ab arce.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Quæ te cunq; rapit ſors, hanc perferre labora:
Tuq; medere tibi docta ratione, putaq;
Sæpè malos homines fato arridente vigere.
Sermo nunc recta, nunc praua lege reſultat:
Vſquè tamen ſtabilis perſiſte, fidelis & vſquè.
Si reprobus quiſquam tumida te voce laceſsit,
Perfer & expecta: prudenter & aſpice ne te
Verborum illecebris vllus, pietatéue ficta
Flectat vt illicitè dicas, faciasúe proteruè.
Nitere conſilio ſano, nec iniqua capeſſe: (cors.
Qui facit aut dicit mala, ſtultus habetur et ex-
Hæc cõmitte, dolor quæ non comitetur acerbus.
Cognita quæ non ſunt, ne trade: ſed illa libenter
Diſce, tibi nam ſic ſuauiſsima tempora currẽt.
Ingenio corpus tu fac tuearis & arte:
Sit cibus & potus moderatus, ſintq; labores
Pierio mixti ſtudio ne viribus obſint.
Delicijs poſitis mundæ conſueſce dietæ,
Inuidiamq; tibi fuge conciliare bonorum.
Parce tuis rebus, nec temporis immemor eſto:
Sordidus at ne ſis, medio ſapientior ibis.
Noxia facta time, venturumq; aſpice finem.
Luminibus placidam ſomni ne carpe quietem,
Omnia quàm lapſi ter volueris acta diei.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

Quæ benè perfeci? quæ non perfecta reliqui?
Sic æqua trutina perpendes ſingula facta:
Ob malè geſta dole, gaude de rebus honeſtis.
Hæc fac, hæc prudēs meditare, hæc corde recōde
Nanq; ita virtutis niueæ veſtigia tanges.
Id fore iuro tibi per bis duo myſtica ſacra,
Perq; Deum vitæ fontē: tantummodò celſum
Votis numen adi, precibuſq; acquire fauorem.
Hac ratione ſcias qua ſe mortalibus ipſis
Inſerit arte Deus, qui temperat omnia nutu:
Tùm, veluti fas eſt, naturæ munera diſcas,
Vt ſperes ſperanda tibi, videaſq; remota:
Poſtremò noſcas multi qua clade laborant
Qui bona nec capiunt præſentia, pectore cæci
Auribus & ſurdi, mala nec diſpellere norunt.
Impediuntur enim multi, gyroq; rotantur
Inſani rapido, mæſtoq; dolore feruntur:
Horribiles quorum conturbant pectora rixæ,
Quas non accelerare decet, decet arte fugare.
Alme Pater Diuū, reprobos aut reprime cūctos,
Cuctos aut tua iura doce ſortemq; futuram.
Fide homo, nēpè homini gēus alto eſt æthere du-
Et natura ſagax illi ſua munera præbet. (ctū,
Hæc doctrina tibi ſi curæ eſt, victor abibis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Tutus & exilies per multa pericula vitæ.
Sperne cibos vetitos, & pectus ſorde repurga,
Cor renoua curis, ac mentis commoda quære,
Atq; animum recta lætum ratione guberna.
Carcere corporeo cùm liber adibis Olympum,
Cœlitus effulgens æterna luce vigebis.

IOHANNIS GEORGII SADOLINI PRÆCEPTIONVM PHOCYLIDIS MORALIUM Interpretatio.

NE thalamos vetitos, Venerem nec tange probroſam,
Nec meditare dolos, nec ſanguine pollue dextram.
Sperne malum lucrum, rebus iuſtè vtere partis:
Vtere ſorte tua, nec poſce hanc quæ tua non eſt.
Friuola ne referas, ſed verax dicito vera.
Primùm fide Deo, venerare deindè parentes.
Iure eſto conſtans, hominum nec quære fauorē,
Nec paupertatis tu nomine reſpue quenquam:
Si malus es iudex, vindex Deus ipſe ſequetur.

Ne te-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

Ne teſtis fallax inſiſte, ſed exprime verum.
Sit tibi virginitas curæ incorrupta, fidesq́;.
Menſurã tribue æqualẽ, modus optima res eſt.
Ne libram inclines, recta ſed lance guberna.
Periurus ne ſis aut ſponte, aut fortè coactus:
Impia ſublimis Dominus periuria punit.
Ne ſata fureris, ſcelus id capitale putato.
Debita ſolue lubẽs, nec comprime diues egentẽ.
Mente regas linguam, ſecretum pectore ſerua.
Nec committe malũ, nec quẽquã coge patrare.
Mendico tribues, meritum differre cauto.
Spontè manũ pandẽs largã miſerre precantis.
Hoſpitio refoue peregrinos, dirige cæcos.
Erige naufragio preſſos, maris aſpera ſors eſt.
Tolle humiles ſocios, inopesq́; iuuare memẽto:
Vita humana trochi eſt inſtar, fortunaq́; fallax.
Quandò opulẽtus agis, miſeris ſuccurre libẽter:
Confer ab his inopi, tibi quæ Deus antè reliquit.
Vitaq́; lexq́; decens ornet communiter omnes.
Nomine tutelæ, non cædis, cingitor enſe:
Atq́; vtinam non indigeas ad prælia ferro:
Ictibus ex leuibus ſequitur mors ſæpè cruenta.
Illicitis cultos ne protere greſſibus agros:
Sit modus in rebus, tranſgreſſio noxia legũ eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Creſcentes rigui ſegetes ne læſeris arui.
Aduena communi cum ciuibus adſit honore:
Nam peregrinandi vita hæc ratione mouetur:
Nec benè firma datur ſedes mortalibus ipſis.
Turpis auaricia eſt ſcelerum fœdiſſima mater.
Argentum multos, & multos decipit aurum.
Heu quantum acceleras, ô aurea maſſa, pericli:
O vtinam tu non tam peſtis amabilis eſſes.
Per te ſunt pugnæ, prædæ, cædeſq́; nocentes:
Tu fratrem auellis fratri, natumq́; parenti.
Ne varius lingua tu ſenſus occule cordis,
Nec polypum referas imitantem ſaxa colore.
Qui ſtudio peccat malus eſt vir: fortè coactus
Errãs, haud malus eſt: nã ſenſu facta probãtur.
Ne iacta ingenium propriũ, nec robur, opeſúe:
Nam Deus eſt ſolus ſapiens diueſq́; potenſq́;.
Præterito noli pectus cruciare labore:
Quod perpetratũ eſt manet irreuocabile factũ.
Litibus in rapidis ſupera ratione furorem,
Percutiens ne tu fias homicida cruentus.
Mortalem perfer ſortem, nec ſumma require:
Quod ſummũ eſt homini non ſemper cõmoda
Affluxus rerũ corrũpit pectora multa, (præſtat.
Diuitiæq́; replent faſtu petulantia corda.

Effi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

4151.

Efficit inſanum cerebrũ vehementia mentis.
Ira leuis flamma eſt, fugit iracundia metas.
Fac imitère bonos, prauorum noxia vita eſt:
Rebus obeſt prauis, rectis induſtria prodeſt.
Virtutis feruor iuuat, obſunt Cypridis ignes.
Vir ſapiens mitẽ & blandũ ſe præbet & æquũ.
Menſuram ſerua comedenſq; bibenſq; loquẽſq;:
Eſt malus exceſſus, modus eſt laudabilis vſquè.
Ne Momi mores imitère vafroſq; cachinnos:
Non odio, rerum natura laborat, atroci:
Eximÿ radÿs Phœbi non inuida Luna eſt:
Infima non odit cæleſtia ſidera tellus:
Non freta contemnũt fluuÿ, ſed ſemper amãt ſe:
Si Dÿ diſcordes agerent, non ſtaret Olympus.
Facta probãda cole, et prudẽs res deſpice turpes
Ne mala vince malo, mala recta lege coërce:
Sermo pius pacem, litem lis procreat atram.
Non exploratis ne commoueare loquelis:
Virtutem ac meritũ, merito ac virtute repẽde.
Hoſpitibus potiùs frugales ponito menſas,
Quàm lautas, mora quas ſuſpectas reddet ini-
Turpibus vſuris inopes exugere noli. (qua.
Sublatis auibus cunctis nec deſtrue nidos:
Matre relicta alÿ tibi pulli nempè dabuntur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Cenſuram rerum fatuis committere ſperne:
Iudicet ingenio quicunq; niteſcit & arte.
Qui doctos audire fugit, non doctus abibit:
Iudicio nec erit præſtans, qui diſcere non vult.
Ventri indulgentes tibi ne coniunge ſodales,
Nanq; cibi & potus multi numerantur amici,
Tempus qui reputant ſaturi quo vadere poßint,
Subtriſtes ſeu magna ferũt, ſeu munera parua.
Ne fidas vulgo, vulgi non vnica mens eſt:
Ignis, aqua, & vulgus nulla ratione feruntur.
Ad flammas reſidens ne vexa pectus amicum:
Sit modus in ſacris, mediũ tenet aurea virtus.
Impiger humanum tellure abſconde cadauer:
Impoſitos cineres nec ſubtrahe, nequid in auras
Educas ſuperas, quod numinis aggrauet iram.
Oſſa hominis ſcelus eſt et buſta reuellere: ſpes eſt
Vt tandẽ è terra ſuperûm ſcandamus in aulas,
Cælitibuſq́; pares fiamus ſorte ſuprema.
Spiritus hic membris morientibus ecce vigebit:
Nã vigor ille animi Patris õnipotẽtis imago eſt.
Corpus ab hac terra eſt, et ad ipſã tendim⁹ ões:
Tendimus ad terrã, mentes leuis excipit æther.
Vtere diuitijs, hominem teq́; eſſe memento:
Sed nec opes tecum referes Plutonis in ædes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2137.

Mors violat cunctos, animas Deus ipſe tuetur.
Hoſpitium cunctis præbet poſt funera tellus,
Vnaq́ mors & ſors æquat ſeruosq́ ducesq́.
Maſſa hominũ fragilis non longo tẽpore durat:
Immortale decus menti eſt, ſemperq́ vireſcẽs.
Nec ſuccumbe malis, quia necturgeſce ſecũdis:
Sæpè etenim lætam ſortem ſors horrida turbat.
Fer placidè præſens tempus, nec nitere contrà:
Nam citò fit clades, clades citò ſoluitur omnis.
Ampullas iactans ne mentis prode furorem:
Sis pius eloquio, mortales voce iuuantur.
Sermo ſagitta viro eſt ferro penetrantior omni.
Sublimis decorat Natura animalia quæuis:
Reddit aues celeres, fortes facit eſſe leones,
Cornua dat tauris, & apes hæc cuſpide munit:
Aſt homini tribuit leges roburq́ loquendi.
Eſt autem prudens ſermo nitidiſsima merces:
Et melior ſapiens vir, quàm qui corpore pollet.
Oppida, agros, naues, ſapientia recta gubernat.
Non æquum à prauis meritas auertere pœnas:
Cœtibus è rectis ipſos arcere decorum eſt:
Noxia ſunt iuſtis commercia nempè malorum.
Depoſitum fac ne furis tuearis ameſq́:
Qui rapuit fur eſt, fur eſt qui rapta tuetur.

Cuiq́

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Cuiq; ſuum tribues, hæc eſt æquatio iuſta.
Principijs parcas ne pauper ſine labores.
Ne pecus, eſcā hominis, tractes ſine lege decēti:
Dilapſum accelerans inimici attolle iuuencū.
Errantiq; ſalo ſuccurre, ſoloq; vaganti.
Quàm pulſari odio, præſtat cumulare fauores.
Quod nocet acre malū reſeca, vulnuſq; refrena
Deſpice ſanguineam carnem, canibuſq; cruēta
Viſcera linque feris, eſca eſt caro cruda ferarū.
Nulla venena para, magicos nec volue libellos.
Ne teneram pueri violenter percute palmam.
Iurgia fac fugias quandò inſtant horrida bella.
Ingratis ne da, pelago æquè eſt condere ſemen.
Viue laborando proprijs vt rebus abundes:
Sugere furtiuos digitos coguntur inertes.
Ex epulo alterius noli fragmenta vorare:
Sed propriam ad menſam vitā genialiter orna.
Artem ſi neſcis, victum ſudore parato:
Materia āpla illi eſt qui gaudet honore laborū.
Nauigio clares? latè ſe cærula voluunt.
Si terreſtre petas opus, ingens terra niteſcit.
Nil facile eſt miſeris mortalibus abſq; labore:
Cura Deo curæ eſt qua virtus alma fouetur.
Formicæ è domibus terrenis ritè ruentes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

4137.

Adueniunt, victumq́; petunt è rure beato:
Grana trahunt triciti duris excuſſa flagellis,
Hordeaq́; ore vehunt ſurgentes agmine longo:
Dumq́; licet, cogunt hyberni temporis eſcam.
Vile genus, ſed non ad magnos vile labores,
Exercet vigiles apis ingenioſa labores.
Dùm caueas luſtrat varias, calamoſq́; recẽſet,
Dũq́; frequẽs volitat veteris ſub tegmine quer-
Mellaq́; diſponit prudẽs per cerea tecta. (cus,
Ne reſide cœlebs perdendo munera vitæ:
Naturam decora gignens ceu natus es ipſe.
Coniugis haud eſto leno, nec pollue ſtirpem:
Ingenuos turpis non gignit adultera natos.
Ne patrium fœda thalamum, nec læde nouercã,
Sed reuerenter eam velut almam dilige matrẽ.
Dedecus infandum ne tenta inferre ſorori.
Cui pater aſſueuit tuus, hanc attingere noli.
Ne labefactet onꝰ grauidi aſpera fœmina vẽtris
Nec partũ exponat canibuſq́; auibuſq́; vorãdũ.
Ictibus vxorem grauidam ne læde moleſtis:
Nec puero mari generandi deme vigorem.
Ne rue in infandum Furijs incenſus amorem:
Nec turpi amplexu fœmellæ iuiurius inſta:
Nec veneris iuſtas metas tranſcurre modeſtæ:

Quippè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Quippè ſuas leges animantia cætera ſeruant.
Fœmellas proprij ducat reuerentia ſexus:
Illarumq́; iace nec totus aduſtus amore:
Numē amor nō eſt ſed pectoris improbus ardor.
Fratris ad vxorem tu ne te turpiter infer.
Iunge tibi ſociam propriam: iucundius an quid
Et melius, quàm ſi præſtet dilecta marito
Obſequiū coniūx, hanc & probet ipſe maritus?
Haud deſponſatis vim noli inferre puellis:
Nec tibi iunge aliquā quæ dote ſuperbit opima,
Subditus vxori ne ſis ob munera dotis.
Magnanimos ſi quæris equos, catuloſq́; feroces,
Altaq́; geſtantes ſi laudas cornua tauros,
Cur tibi non cordi, non curæ eſt fœmina caſta.
Quid? quòd & illa virū ditē quàm mâlit hone-
Ne tædis tædas, dāno neq; dāna ſubinfer. (ſtū.
In pueros ne ſis moroſus, mitis at eſto.
E vitijs genitrix retrahet fidiſsima gnatum,
Prudenteſúe ſenes & honeſta caterua virorū:
Ne calamiſtratos pueris permitte capillos,
Illorumq́; comas nitidis nec cinge corollis:
Non decorat pueros coma, ſed decet illa puellas
Ingenui pueri diſpone fideliter horas:
Fallit enim ætatem tenerā indulgentia mollis.

Virgi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

Virginis eximiæ limen munire memento,
Nec ſine ſpectetur niſi fido ſponſa marito:
Obuia præſtanti ſunt multa pericula formæ:
Excipe cognatos concordi lætus amore:
Et venerare ſenes, illisq́; aſſurge decenter:
Ac hominem niueis canum virtutibus, atq́;
Annis, dilectum tanquam reuerere parentem.
Portio fac famulis tribuatur iuſta diætæ:
Seruo mercedem confer tibi promtus vt adſit.
Mancipium noli conficto lædere probro.
Alterius domini caueas traducere ſeruum.
Conſilium rectum prudentis amato miniſtri.
Si mẽs æqua tibi eſt, ſat et eſt tibi nobile corpus
Hæc ſacra iuſticiæ myſteria ſedulus vrge
Dulcia complendo longæuæ tempora vitæ.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

AD INCLYTAM ROSTO-CHIENSIVM ACADEMIAM, IN calendas Apriles Anni 1574. cum vndecim egregij viri dignitate Magiſterij Philoſophici ornarentur:

EPIGRAMMA.

IOH. GEORGII SADOLINI P. L.

TEmpla Dei viui florere, ſcholaſq́; vigere,
Excellens munus qui neget, ecquis erit?
Vox vbi cœleſtis reſonat, Muſæq́; niteſcũt,
Hic honor, hic virtus, hic viget õne decus.
Aethereum verbum rutilanti eſt clarius auro,
Et doctrina ſacras candida promit opes,
Sis igitur felix vrbs ô generoſa Roſarum:
Aeternasq́; feras, ô Schola pulchra, Roſas.
Nobilior non ſit diuino Sequana Varno:
Varno nec meliùs Tybridis vnda fluat.
Roſtochium ſalue, proceres ſaluete diſerti:
Aönij ſalue ſancta corona chori.
Numine ſiderei per vos incenſus amoris
Pectore ſub calido nomina veſtra geram.
Cœruleus medio qui regnat in æquore Baltheus
Noſtros ad modulos murmura læta dabit.
Per mare, per terras, veſtri fundentur odores
O vos eximiæ perpetuæq́; Roſæ.

Simpliciter virtutis amore.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)

2134.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2134 8° (LN 1415)